

que proprio marte conscripsit, ea industria & successu, ut nec unicum Præses verbum addiderit. A. M DCCV. m. Junio iter, ut peregrinas Academias perlustraret, suscepit. VVittebergam ad nos delatus summos statim in Philosoph. honores eo adhuc mense, quo huc venit, diribitore *B. Michaelis Strauchio*, Mathem. Super. Prof. consecutus est. Prima ejus cura posthac fuit, cum huc venisset Theologorum collegia sedulo frequentare. Hinc lectionibus *Publ. quoque meis* sedulo interfuit. Summe Rev. *D. Neumannum*, cuius etiam vietu per aliquot annos usus est, & publice & privatim legentem audivit, ejusdemque prolixum erga se affectum, & plurima beneficia per omne vitæ spatium se gratissimamente conservaturum esse, profitetur. Scholas *Wernsdorffianas* itidem frequentavit tum Publicas tum Privatas, ex quibus etiam multa sibi salutaria didicit. Unus vix præterlapsus erat mensis, ex quo summos in Philosoph. honores obtinuerat, cum absq; mora, uti in hac Acad. raro fieri solet, Præside Polyhistore incomparabili *B. Conr. Sam. Schurtz fleischio*, de Purpura varia, speciatim regia, disputaret, quam disputationem

B 3

pau-